

QUAER. 2^o *An violator ad aliquid teneatur erga parentes virginis, violatae, si ipsa libere in peccatum consenserit?*

Resp. Neg. probabilius, quia nullum eorum ius strictum violatum fuit; nec impedire possunt filiam, quominus de iure suo quo ad temporalia damna cedere possit. — S. Lig. n. 641. — Billuart. — Lugo.

730. — *QUAER. 3^o Ad quid teneatur violator erga prolem spuriam?*

Resp. 1^o Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur. Ratio patet ex dictis. Attamen in eius defectu mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, quia mater est. Sed tunc recursus servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur.

Resp. 2^o Si vero mulier in peccatum consenserit.

1^o Ex Iure Romano mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet.

centiores, qui illud paradoxum admiserunt, adeas Editiones huius Compendii P. Gury, quotquot decimam sextam (Lugduni an. 1865. procusam, sed romanis curis demum emendatam) praecesserunt, non exclusam ea quae typis de Propaganda Fide prodierat; inibi hoc paradoxum ceu probabilio- rem sententiam propositum inveni- ens. Adeas et Theologiam Moralem Emi. Gousset, ubi haec (vol. I. n. 1015.) scripta reperies: *Celui qui a séduit une personne par la promesse du mariage, est-il obligé de l'épouser? Suivant le sentiment du plus grand nombre des théologiens et des canonistes, il est obligé de l'épouser, soit que la promesse ait été feinte, soit qu'elle ait été sincère. Il y est tenu dans le premier cas, générale- ment, non en vertu de sa promesse, puisqu'elle n'oblige pas, mais bien en vertu de l'injure qu'il a faite à la personne, en la trompant par une fausse promesse. Il y est également tenu, dans le second cas, parce que, dit-on, la condition étant remplie, la promesse devient absolue, et par là même obligatoire. Mais, comme cette question rentre dans celle des contrats faits sous une condition illicite, nous regardons la promesse dont il s'agit comme nulle, comme ne pouvant, par*

conséquent, produire aucun effet: « Toute condition d'une chose contraire « aux bonnes mœurs, porte l'article 1172. « du Code civil, est nulle, et rend nulle « la convention qui en dépend. » Or, telle est évidemment la convention de celui qui promet d'épouser une per- sonne, si elle consent à commettre le péché de fornication. Ce sentiment est plus favorable aux bonnes mœurs que le sentiment contraire; S. Alphonse de Liguori lui-même en convient: Adno- tare iuvat, dit-il, valde utile fore ad huius- modi flagitia vitanda, quod promissiones matrimonii ad obtinendam deflorationem, etiam forte iuramento firmatae, invalidae declarentur ab Episcopis. C'est aussi la pensée de M. Carrière, et de l'auteur de l'Examen raisonné sur les Com- mandements de Dieu. Isti ergo, et non alii, recentiores sunt, qui immane para- doxum contra unanimem DD. sententiam deprompserunt.

(*) Quamvis non negemus, ius esse civili auctoritati irritandi huiusmodi contractus et rationem quoque praesto esse, cur ir- ritentur: at negandum est quod haec ir- ritatio vim habeat, cum agitur de spon- salibus inter christianos, quae ecclesia- sticae subsunt potestati.

2^o *Ex iure Gallico nihil expresse statuitur. Iurisperiti tamen agno- scunt, parentes aequae et in solidum obligari saltem ad alendos et edu- candos filios legaliter recognitos. Hoc ex art. 203. eruunt. Etsi autem filii non fuerint recogniti, attamen iure naturali eadem obligatio ipsis incumbit. — Carrière, n. 1371. — Gousset, n. 1016. — V. Casus. n. 737. et seq.*

ARTICULUS III. — DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM.

Obligaciones utriusque adulteri spectandae sunt iuxta varias circum- stantias, prout scilicet adulterium fuerit, nec ne, plane ex utraque parte voluntarium, num familiae damnosum, vel non.

731. **Principia.** — I. Uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiae reparanda, si ex utraque parte crimen voluntarium fuerit, quia totum utriusque imputandum est. Hinc 1^o restituendi sunt omnes sumptus, quos maritus in prole alenda et educanda sustinuerit; 2^o si filius illegitimus cum legitimis iam haereditatem acceperit, istis pro rata com- pensatio facienda est. — S. Lig. n. 659.

II. Adultera, si paraphernalia habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis laesis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata..., etc. Si non habeat, diligentius familiam administret, parcior- que sit in sumptibus privatis, laboret diligentius, in quantum status permittit.

III. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum ex dictis supra n. 728. tenetur.

732. **Quaesita.** — *QUAER. 1^o An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, 1^o quia communiter haec revelatio sine magna infamia, et saepe etiam sine periculo mortis, vel odii perpetui, aliorumve gravium malorum fieri nequit; 2^o quia difficile damnum reparare etiam per id posset, praesertim cum filius matri fidem adhibere non teneatur. Excipiunt quidam, si mater sit perditae fa- mae (11), etc... — S. Lig. n. 653.

733. — *QUAER. 2^o Quid in dubio, an proles sit mariti aut adul- teri, vel ex hoc adultero potius, quam ex alio?*

Resp. ad 1^{um} Probabilius ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. — S. Lig. n. 657. — Lugo, D. 13. n. 17. et alii plures contra alios, qui dicunt pro rata restituendum esse.

(11) Sed eiusmodi exceptio alio incom- modo laborat. Si enim filius unico matris testimonio credere non tenetur, multo

minus testimonio unius mulieris, quae in- super sit perditae famae, fidem habere tenebitur.

Resp. ad 2^{um} Uterque adulter pro rata ad restitutionem tenetur iuxta sententiam communiorem, quae tenenda videtur. Ratio est, quia certum est damnum, et constat illud ab alterutro peractum esse; singuli autem sunt causa efficax et iniusta incertitudinis, quae impedit ne compensatio ab uno determinate exigi possit. Aliunde ex hac incertitudine innocens pati non debet. — Lacroix, n. 337. — Lugo, n. 19. — Roncaglia, c. 2. qu. 3.

Dissentit tamen S. Lig. n. 638. quia, ut ait, onus certum imponi non potest, ubi dubia est obligatio (12). Excipit nihilominus, si adulter

(12) Quid senserint DD. de hac controversia, aegre profecto ille intelliget, qui mere ex allegationibus a S. Alphonso productis de re iudicium ferat. Pro sententia enim sua, quam *probabilior* dicit, sic DD. refert (lib. 3. n. 638.): Ita (inquit) Sanchez *Cons.* lib. 4. c. 3. dub. 1. n. 3. disp. 13. n. 20., Zachar. (idest Croix) lib. 3. p. 1. n. 704., cum Gob., Less., Fill., et Bon., ac Salm. *ibid.* (idest *de Restit.* c. 3.) n. 32. cum Sot., Trull., Lop. etc. *contra* Dicast., Mol., et alios. Et in prima quidem Editione an. 1748. S. Doctor post Salmanticenses addiderat pro sua opinione etiam Lugo; sed in aliis deinde Editionibus sublatum videmus nomen Lugo, retenta tamen sine nomine eius allegatione disp. 13. n. 20., quae vacua allegatio cernitur et in recentibus Editionibus Taurinensi et Ratisbonensi an. 1846. Sublatum autem nomen Lugo ab ipso S. Alphonso fuisse id suadet, quod (l. c.) dein ipse contra se allegat Lugo (disp. 13. n. 24.), quasi hic statuatur, *adulteros teneri ad alimenta pro rata dubii*: quod tamen ipsum minus exactum est. Namque ibi Lugo contra propendet in sententiam, quae negat *obligationem alendi prolem*, licet admittat in adulteris *obligationem restituendi marito et filiis legitimis saltem quoad partem pro damno illis illato ex prole adulterina*.

Sed ut ad reliquas allegationes veniamus, S. Alphonso, ut vidimus, pro se citat Zachariam, idest Croix, lib. 3. p. 1. n. 704. At ecce idem S. Doctor paulo post

(l. c.) scribit: *Attamen ipse Croix lib. 3. p. 2. n. 337. cum Lugo n. 24. loquens de prole adulterina, absolute dicit cum Illsung, adulteros teneri ad alimenta pro rata dubii*. Quomodo itaque S. Doctor pro se allegat Croix, quando, ipso fatente, Croix *absolute* dicit, adulteros ad alimenta suppetitanda teneri? Neque licet conicere, differre quaestionem S. Alphonso, qui generatim de *restitutione* damnorum agit, a thesi Croix, qui forte loquatur de solis alimentis. Nam 1^o Croix lib. 3. p. 1. n. 704. (quem locum pro se S. Alphonso citat) quaerit nimirum, *a quo proles sit alenda*; 2^o in alio loco (p. 2. n. 337.) loquitur etiam de *restitutione partis hereditariae filiis legitimis subtractae*. Quid certi igitur deduci hinc potest? S. Doctor affert deinde Gobat, locum tamen non indicans; et forte hanc allegationem sumpsit ex Croix lib. 3. p. 1. n. 704. At enim 1^o Gobat ibi allegatur a Croix non circa praesentem quaestionem, sed circa aliam; 2^o in praesenti autem quaestione Gobat (*Quin.* Tr. V. cap. 28. n. 58.) sententiam Molinae, contra quam a S. Alphonso citatur, vocat *probabilissimam*.

Affert deinde S. Alphonso pro se et Bonacinam. Atqui vel ipsi Salmanticenses (Tr. 13. c. 3. n. 31.), quos S. Doctor allegat, Bonacinam referunt pro sententia opposita. Et reipsa Bonacina (*De Matr.* q. 5. punct. 15. n. 10.) haec habet: *Quando duo adulteri cognoverunt unam et eandem feminam coniuga-*

secundus adverterit saltem implicite se incertitudinis illius causam fore. Item si adulteri ex communi consilio adulterium patnaverint.

lam, quae concepit tunc temporis, quo maritus absens erat, uterque tenetur et restituere pro parte sua etc. Ita Azor., Rebell., Molina, et alii.

Addit S. Doctor allegationem Sanchesii, quae ex Salmanticensibus desumpta videtur. Verum haec vel minus, quam aliae, videtur ad rem facere. Quaerit nempe Sanchez (*Cons.* Lib. 4. c. 3. dub. 1.), quinam dicantur filii *naturales*, quinam *spurii*. Infert vero (*ibid.* n. 3.) *naturales* non dicendos, quos quis habuit ex concubina extra domum, si pater non recognoscit eos in filios; secus, si semper eos recognovit in filios. Quae, uti patet, ad praesentem quaestionem nihil pertinent.

Quod ad Soti allegationem spectat, primo quidem nimis hoc argumentum probaret; quippe in quacumque hypothesi Sotus (*De Iust.* lib. 4. q. 3. art. 2. ad fin.) negat, adulterum *ex iustitia* ad aliquam restitutionem teneri. *Re vera* (inquit) *non plane video, cur adulter ad aliquam de iustitia teneatur restitutionem*. Quam opinionem et Sayrus (lib. 8. c. 3. n. 20-21.) cum aliis confutat.

Lopez vero (*Instr.* p. 1. c. 90.), cui addi hic debent Villalobus (*Sum.* part. 2. Tr. 11. diffie. 34.), et Sayrus (l. c.), non definit, duos adulteros ad aliquam restitutionem non teneri, sed solum hi dicunt, neutrum eorum teneri ad habendam illam prolem tamquam suam. Quod vero haec sententia non excludat obligationem restituendi, patet tum ex rei natura, tum ex facto. Ex rei quidem natura, quia obligatio restitutionis hic non petitur ex eo, quod uterque adulter suam esse prolem debeat credere, sed ex alia ratione, quam et Auctor in textu innuit. Ex facto autem, quia reipsa DD. utramque sententiam ita conciliant, ut utramque doceant ut veram. Ita praeter allegatos etiam Molina (part. 4. disp. 103. n. 3.), et Trullench (lib. 7. c. 9.

dub. 7. n. 5.), quem idcirco pro opposita sententia immerito allegant Salmanticenses (l. c. n. 32.), et post eos S. Alphonso.

Supersunt Lessius (lib. 2. c. 10. n. 40.), et Filiuccius (Tr. 32. c. 8. n. 223.). Verum hi non perpendunt ullatenus controversiam istam de incertitudine inter duos adulteros, sed solum quaestionem generice instituunt de casu, quo quis dubium duntaxat habeat, an ipse sit pater. Porro id non excludere diversam sententiam circa casum, de quo agimus, ex eo manifeste patet, quod et Bonacina, et Molina, et Lugo, et Trullench, etc. eadem, ac Lessius et Filiuccius, principia illa generalia statuunt, neque tamen consequenter eandem sententiam de casu nostro tenendam putaverunt. Et ratio diversae pro casu diversitate sententiae non est obscura; videlicet, ut iam innuimus, obligatio restitutionis non ex eo quaeritur, quod alteruter adulter certe censeatur pater.

Quid denique valeat suffragium Salmanticensium, inde iudicare licet, quod universa eorum supellex ex allegationibus hic perpensis constat.

Addit S. Alphonso (l. c. n. 630.) opinionem, quam sequitur, *communem dici* a Lugo disp. 13. n. 19. Sed reipsa hic Lugo prorsus asserit oppositum. *Communis* (inquit) *certe sententia affirmat, singulos debere ex parte concurrere ad alimenta etc.*

Quod vero attinet ad intrinsecas rationes, S. Alphonso non longe abest ab admittenda vi argumenti, quod ab oppositae sententiae patronis adhibetur, et sic apud Croix (lib. 3. p. 2. n. 337.) effertur: *Ratio est, quia licet qui dubitat, an damnum iniustum caussarit, ad nihil teneatur* (quod est argumentum S. Alphonso), *tamen hic singuli communi opera sunt causa ipsius incertitudinis, quae iniuste impedit, ne ab uno de-*

QUAER. 3^o *An filius teneatur credere matri etiam iuranti, illum illegitimum esse?*

Resp. Neg., quia ex iure et sensu communi nemo tenetur credere uni testi etiam probatissimae fidei. Secus tamen, si praeter testimonium matris accederent indicia evidentia, v. gr. absentia patris a longo tempore. — S. Lig. n. 654. — Laymann. — Roncaglia.

734. — QAER. 4^o *An si adulteri, vel fornicatores opulenti prolem ad brephotrophium miserint, ad impensas resarciendas teneantur?*

Resp. Controvertitur. 1^a SENTENTIA communior et probabilior affirmat. Ratio est, quia brephotrophia sunt instituta in gratiam infantum non vero parentum; nec praesumendum, eorum fundatores a solvendis expensis divites eximere voluisse. — Lugo, D. 13. n. 3. — Billuart. — Bouvier, *de Restit.*, p. 2. art. 2. — Carrière, n. 1373. Roussetot *opusc. de sexto praec.*

II^a SENTENTIA negat, quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abiiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a Municipio pro istis parvulis praebentur; quia haec pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad

terminato exigi possit debita restitutio, et in hoc damnum singuli consenserunt volendo copulam per se causativam eiusmodi damnorum, uti argumentatur Ills. n. 97. etc. Et hanc quidem rationem egregie urgent Dicastill., Reding, Pettschacher, Illsung, Mezger etc. apud Babenstuber (Tr. 7. disp. 5. art. 3. §. 3. n. 38.), et Elbel (*Theol. Sacr.* part. 3. conf. 18. n. 452.). Porro S. Alphonsus vim argumenti non negat, sed mere exigit, ut adulteri hoc damnum praeviderint: quae quidem praevisionis cuiusmodi esse debeat, docet idem S. Doctor (*De Act. hum.* n. 10.), ubi postulat, quod agens ponendo causam, advertat, saltem in confuso, huiusmodi effectum fore ex illa causa securum. Quae quidem verba non ita sunt accipienda, quasi agens nosse debeat, ex actione sua eum effectum certo securum esse, sed ita, ut, si effectus sequatur, agens noscat, effectum actioni suae tribuendum esse. Licet ergo incertum sit, an ex adulterio mulier conceptura sit, aut ex armorum explosione occisio sit secutura, si tamen aut proles

ex adulterio, aut mors sequatur ex armorum explosione, nemo dubitat, quin effectus adscribi positae causae debeat. Porro cum ex adulterio patrato aut susceptio proles, aut incertitudo, de qua sermo, si forte alter adulter ad adulteram accesserit, eiusmodi sint effectus, qui non per accidens, sed per se ex utriusque adulterio sequuntur; nimis profecto aegre praetendi potest excusatio, quod sequuti damni nulla, ne implicita quidem, praecesserit praevisionis. Secus excusandus videretur etiam adulter, qui de secutura ex proprio crimine prole nihil omnino cogitasset, aut etiam qui sibi suasisset firmiter, prolem ex eo adulterio securam nullam esse. At eiusmodi excusationibus praevalet, quod quisquis crimen aggreditur, consecratorum quoque ex eo per se obvientium onus aut explicite aut implicite in se suscipit. Inde factum cernimus, ut cum tot Auctores gravissimi hanc controversiam omni ex parte accurate tractaverint, solus tamen Pettschacher, quem dein utcumque secuti sunt Elbel et Babenstuber, hanc exceptionem obiter depromserit.

parentes attendatur. Insuper huiusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum aeternae, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiae metus adegit, sive ad abortum proles suae procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt. — Ita S. Lig. n. 656., qui hanc sententiam putat probabilior.

Attamen conveniunt etiam patroni huius sententiae, in praxi enixe adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo poenitentiae, brephotrophio tribuendum.

735. — QAER. 5^o *Quantum hospitio tribui debeat, iuxta prioris sententiae patronos? (13).*

Resp. Non potest certa regula definiri. Solutio enim quaestionis pendet a variis rerum et locorum adiunctis, a vita producta, aut a morte praematura proles. Vix autem (aiunt) sexta pars puerorum ad aetatem duodecim annorum pervenit, et saepius a genitoribus ignoratur, utrum vivant, neene. Unde concludunt, satis erit, si parentes pro rata dubii 200. vel 150 fr. brephotrophio solvant. — Bouvier, *ibid.* — V. *Casus*, n. 743. et seq.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM.

In bonis fortunae in casibus particularibus, scilicet 1^o quoad tributa; 2^o quoad militiam; 3^o quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Galliae sub fine saeculi XVIII.

ARTICULUS I. — DE TRIBUTIS.

736. — Tributi nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de propriis bonis Gubernio vel principi ad sumptus Reipublicae communes.

Alia sunt tributa *directa*, quae actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta*, quae immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas, quae eas transvehunt, vendunt, emunt, etc. ut sunt gallice: *les droits réunis, les douanes, etc.*

737. **Principia.** — I. Impositio tributi est actio supremi domini in bona subditorum, et proinde ad illa imponenda requiritur suprema et

(13) Cum secunda quoque sententia satis probabilis, imo S. Alphonsi iudicio sit probabilior, inutilis videtur haec quaestio; quia obligationem solvendi aliquid

tamquam ex iustitia debitum Confessarius imponere non potest; si vero de elemosyna libere tribuenda sermo sit, quantitas arbitrio tribuentis permittenda videtur.